



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Controversiae Ecclesiastico-Historicae

Casteel, Gerard

Coloniae Agrippinae, 1734

VD18 10739254

Controversia VI. De Ultimo Christi Paschate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

CONTROVERSIA VI.

D E

Ultimo Christi Paschate.

Libro Exodi *cap. 12.* Israëlitis jam-jam ex *Aegypto* proficiscentibus præscribitur ritus immolandi & manducandi Agnum Paschalem: ibidémque pertractatur de Agni illius qualitate, tempore immolationis, sanguine postibus illiniendo, personis idoneis ad comestionem, de ipso Festo, quod est PHASE, seu Pascha &c. Huic præcepto Christus Salvator noster, qui venerat non solvere legem: sed adimplere, exiturus ex hoc mundo, instante jam Passionis & mortis suæ tempore satisfacere volens, Jerosolymis cum duodecim discipulis suis in cœnaculo grandi recumbens Pascha celebravit.

Hæc est communis Sacræ Scripturæ perpetuæ traditioni & Sanctorum Patrum doctrinæ conformis sententia. Neque ullus in tota antiquitate repertus fuit (sunt qui Marcionem primum Authorem constituunt, sed non probant) qui contradixit ante Joannem Philopponum Grammaticum Alexandrinum circa Annum 530. Tritheitam, qui à Concilio VI. condemnatus fuit. Hanc opinionem, quod Christus pridie mortis suæ non comederit Pascha ultimum postea amplexi sunt Durandus de Villajagnon Ord. Equestr. Melitensis de *Judaic. Pasch. implem.*

Anno 1596. Desultorius ille & novitatum amans Mar. Ant. de Dominis *Reput. Eccles. Lib. 5. cap. 6.* Vechietus de anno primitivo Augustæ Vindelicorum 1621. qui Liber iulii Inquisitionis fuit combustus ejusque Author perpetuo carceri mancipatus.

Eandem opinionem magno conatu defendendam suscepit P. Lamy Oratorii Berulliani Presbyter in *Harmon. seu concordâ Evangel.* Anno 1689. evulgata in *Dissertatio. &c.* Ipsum impugnarunt Pienud. Gr. Ling. Regius Professor, Tillemontius, Harduinus, Daniël, Bouhors, Manduit, qui censuerunt opinamentum P. Lamy esse contrarium Sacræ Scripturæ, traditioni ab Ecclesia universaliter receptæ, Patribus doctrinæque Concilii Tridentini. Demum Scripta sua contra illud evulgârunt P. Pezeronius, Cornelius Widasse Doctor Sorbonicus P. Bessin &c. qui omnes ramen Patrem Lamy non potuere inducere, ut à sua opinione recederet, quam etiam amplexi sunt inter ceteros Toinardus *Harm. Evangel.* Anno 1707. prælo commissa. P. Tourne mine Soc. Jesu, qui sententiam illam Anno 1691. 17. Decemb. & Anno sequenti rursus 13. Julii in Thesibus Theologicis propugnandam exposuit, atque in litteris tum ad P. Lamy, tum ad P. Honoratum à S. Ma-

ria prolixius tuitus fuit. Anno 1713. P. Augustinus Calmetus Ord. S. Benedicti Congregationis S. Vanni in Commentario literali: Ant. Fest. pro eadem sententia sese declaravit in quadam Dissertatione de ult. Pasch. Evangelio S. Matthæi præfixa, &c.

Atque in horum Authorum sententia præfens Controversia, in qua de tempore ultimo celebrati à Christo Paschatis agitur, foret de subjecto non supponente, nequidquam obstantibus clarissimis omnium Evangelistarum Textibus, quos quidem non rectè à Patribus sapientissimis & antiquissimis intellectos citati Authores contendunt: adèd nulli veritas tam lucida, ut ad eam præjudiciorum borantes non caligent.

Sed nullis hiscè exoticis & contrà torrentem nitentibus opinariunculis, quas Doctissimus Franciscus Suarez, Nicolaus Lambertus &c. hæreticas censent, in vera hypothese de comesto à Christo, ejusque Apostolis Agno Paschali ultimo vitæ suæ tempore, quaritur quo demum die id factum fuerit. De quo, cum diversa sint plurium Scriptorum placita, præsertim illa in medium producantur, pauca erunt præmittenda prologomena.

1. Antequam præceptum de celebrando Paschate Hebræis dictum fuisset, ipsi annum inchoabant mense Tytri, qui respondet partim Septembri, partim Octobri. Voluit autem Deus deinceps anni initium apud eosdem esse debere initium salutis & libertatis populi sui electi: quæ, cum contingerit mense Nisan, qui correspondet nostro Martio in Aprilem exeunti, dixit Deus Moyfi *Loc. cit. Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Liqueat ergo, quod ab exitu Hebræorum annus vulgaris distinguatur à Sacro, quo Scriptura semper utitur, de quo Josephus usu rerum callentissimus Judæus *Lib. 1. antiq. cap. 4.* Gelenio interprete ita scribit. *Moses autem Nisan, qui est Xanthicus mensem primum in*

suis fastis ordinavit, quod per hunc Hebræos ex Ægypto eduxisset, eundem etiam omnium, quæ ad rem divinam pertinent, exordium fecit: alioqui, quo ad nundinationes rerum venalium reliquarumque dispensationem attinet, nihil de pristino ritu innovavit. Itaque.

Cum diva est ausus sus decertare Minerva Quando nuperrimus quidam Scriptor in *Dissur. Philologico-Theologica* Josephum, cui, iudice Scaligero, tutius creditur, quam omnibus Græcis & Latinis Scriptoribus, erroris arguere, eumque corrigere præsumpsit, atque illum docere, à quo docendus ipse, dum ex ratiunculis quibusdam, hanc à plerisque doctissimis admittam anni civilis & Sacri distinctionem constanti traditione observatam negat: qui in cit. textu *Exod. cap. 12.* inficiatur. Erit esse necessario in futuro intelligendum, sed in præsentis modo posse sumi. Singularium & inauditarum opinionum affectatio plerumque scientiâ inflatis arridet: gloriola novitatis, inventoris magnarum veritatum, ceteris hominibus omnibus retrò sæculis incognitarum, oppugnatione antiquæ & communis sententiæ nimium quantum sciolis placet. Quantum est ex tot mortalium myriadibus se solum esse perspicacem, cunctis reliquis cæcutientibus, qui tantas haberent in oculis lemas quantæ sunt cucurbitæ. Quot novimus hoc ævo nostro hæc elca pellectos ad heterochita. Dum verò extra viam procedunt in anfracta incidunt, aliqua licet tenuissima, veritatis vel probabilitatis specie incitati scærum ejusmodi edunt cerebri sui; postea autem monstrosâ insolentiâ deprehensâ, & delarvatâ, nihilominus venustatem ejus haud minori temeritate, quam ingeniorum, quantumcunque imbecillium, vi tueri conantur, ne propudiosè errasse videantur. Scitè scripsit S. Joannes Chrysostomus *hom. 9. ad Cor. 2.* *Novitas omnium animos offendit: ea magis, quæ prætorum rituum fundamenta effringit.*

ERAT

Erat verò primus mensis, cuius initium sumebatur à plenilunio, quod vel incidebat in ipsum æquinoctium vernalis, aut hoc ipsum proximè sequebatur: & quemadmodum ex Sacra Scriptura probari potest, Hebræorum tempora non cursus solis, sed Lunæ moderabatur; diuque ante Græcorum tempora Lunarem animum ad usum civilem accommodatum fuisse constat, licet Kæpplerus & Petavius refragentur. Incipiebant autem menses non quidem à Phasi, ut idem Petavius *Lib. 12. de Doct. temp.* late probat, seu prima illius apparitione, quam ipsa conjunctio Lunæ cum Sole, uno ad minimum die præcedit; unde alias fuisset magna inter distantes Hebræos exorta mensium Fæstorumque inæqualitas: sed hi cyclis artificialibus pro neomenia seu novilunio usi fuerunt. Eorundem tamen cyclis ad eò vitiosus ab Authoribus, præsertim modernis, observatur; ut quandoque ante Lunam decimam quartam, quæ reverà talis esset Pascha comederint: cùmque aliquoties Phasi Lunæ contingeret ut 16^{ta} vel 17^{ma} Pascha celebrarent, die præscripto neutiquam celebrabant. Censebant interim legi satisfieri, si Luna, 14^{ta} civili, vel populari æstimatione per cyclum, pro tali declarata Fæstum peragerent: quodque ad eò verum esse putaverunt, ut propterea Philo, Judæorum disertissimus, quomodo à S. Hieronymo appellatur de *vita Moysi*, scribat, à Judæis hoc Fæstum non præcisè Lunà 14^{ta} celebrari. Atque hæc Fæsti anticipatio aut translatio tanto magis probabilior videtur, quod Christiani quoque cycli vitio, in observando Paschate eam commississe ex emendatione Calendarii Gregorii XIII. iussu correcti constet.

2^{do}. Juxta hunc computum Judæi vocabant quovis mensis dies Lunam, ut Luna 1. 2. 3^{ia}, qui postmodum etiam sunt vocati Sabbathum, ut Joan. *cap. 20. Una Sabbathi, quem Matthæus vocavit primam Sabbathi. Imò & tota hebdomas, in qua Fæstum occur-*

rebat, quod etiam communiter Sabbathum vocabatur, à potiori sui parte ac die dicebatur Sabbathum. Sic Phariseus ait. Jejuno bis in Sabbatho, hoc est, in Hebdomade.

3^{io} Dies naturales incipiebant ab ortu Solis & delinebant in ortum Solis, continebantque diem ac noctem artificialem. Et sic primus dies mundi intelligitur; ut vespere finiente diurnam Lucem & manè finiente noctem præcedentem sit factus dies primus; juxta illud *Genes. 1. Et factum est vespere & manè dies unus.* Dies Fæsti verò incipiebant non à media nocte, ut Vitasse sustinere voluit: sed post Solis occasum, & finiebantur ad ultimum occasum postridiè, continebantque noctem & diem artificialem, juxta præceptum *Levit. cap. 23.* Itaque dies 14^{ta} mensis in cupis vespere Agnus immolabatur, & azyma mox noctu incipiebant apud Mattheum vocatur *Prima Azymorum*, ratione scilicet *vespera sua seu noctis, & hac ratione Luna 15^{ta} vocatur, Prima Azymorum.*

4^{to} Ex præcepto divino debebat Agnus comparari Lunà 10^{ma} & Lunà 14^{ta} immolari ad vespeream; id est, cùm jam Sol inclinaret ad occasum; ita ut in ipso Solis occasu esset immolatus. Hoc testatur Josephus *Lib. 7. de bello Jud. cap. 17.* Item *Lib. 6. antiq. cap. 10.* dum refert, quod Hebræi immolare solerent Hostias Paschales ab hora 9^{na} usque ad 11^{am}. Nona autem hora correspondet nostræ tertiæ pomeridianæ. Sic Sacra Scripturæ interpretes intelligi volunt illud de præcepta immolatione inter duas vespereas, ut in texto Hebraico legitur, aut inter duos Soles, juxta paraphrasin Chaldaicam. Unde Christus apud *Matth. cap. 14.* miraculum fectur edidisse inter duas vespereas, Hebraica consuetudine loquendi, dum in deserto 5000. virorum pavit. *Vespere autem facto* (id est, Sole jam ad occasum declinante) *accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes. Desertus est locus & hora jam præterit, dimitte turbas, ut euntes in Castella emant sibi escas.*

Ast Christus illas retinuit & pavit. Postea, dimissa turbâ, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto (id est, post occasum Solis) solus erat ibi.

510. Dies Azymorum incipiebant cum Paschate, scilicet 14^{ta} die mensis primi ad vesperam secundam, id est, initio 5^{ta} diei, juxta loc. cit. Exodi. v. 18. *Quintâ decimâ die mensis ad vesperam commedetis azyma, usque ad diem 21^{am} ejusdem mensis ad vesperam.* Et Levitici 23. v. 6. *Quintâ decimâ mensis hujus, (primi & Paschatis) Solemnitas Azymorum Domini erit.* Durabant 7. diebus, quibus Hebræi fermentato pane non vescabantur; non autem octiduo, ut Rupertus Tuitiensis *Lib. 2. in Exod. cap. 15.* utriusque memoriæ lapsus, Sacram Scripturam perperam allegavit. Hi dies, ut dictum, finiebantur 21^{ma} ad vesperam. Quamvis enim dies Festus duplicem haberet vesperam, inchoantem & finientem Festivitatem, excipitur tamen Festum Paschæ; illud enim tantum habebat vesperam diei 14^{ta}. Tunc siquidem immolabatur Agnus, quem Hebræi nocte illa comedebant cum Azymis. Manè, scilicet diei 15^{ta} erat Solemnitas Azymorum, quare nox præcedens pertinebat ad hunc diem, non ad Lunam 14^{ta}. Sententia verò Ludovici Legionensis Ord. S. Augustini, quam mirum est P. Daniëlem S. J. adoptasse, prorsus est singularis, qui in libro, quem de legitimo tempore de immolatione Agni scripsit, contendit hunc immolatum, & cum Azymis manducatum 14^{ta} mensis Nisan ad vesperam priorem, post Solis occasum Lunæ 13^{ta}, ex eo quidem capite, quod Festus dies duplicem habeat vesperam. Vult insuper, quod Hebræi Lunâ 14^{ta} in priori vespera, antequam ex Ægypto proficiscerentur, immolaverint. Sed huic Scriptura manifestè contrariatur, quæ nullibi Lunâ 13^{ta} mensis sed, Lunâ 14^{ta} vel Lunâ 15^{ta} dicit celebrandum Pascha & primum diem Azymorum. Ast neque Lunâ 14^{ta} erat dies

Festus, & vespera hujus diei, in qua Azyma comedebatur, pertinebatque ad ipsam 14^{ta} diem naturalem, spectabat ad 15^{am} Legalem & Festivum: ut nunc dici potest de prima Vespera Festi, quod in Ecclesia solemniter celebratur.

His itaque præmissis, discutienda venit satis intricata quæstio illa. Quo die Christus Dominus ultimo vitæ suæ tempore Pascha cum discipulis suis comederit Jerosolymis, an scilicet eodem die, quo Judæi, an diverso, an tunc fuerit ille dies legitimus, & Judæorum illegitimus, aut è contrâ? Heteroclitum est, quod Epiphanius de Christo & Apostolis scribit *heresis 31. n. 26. contra Alogos: Quare biduo ante legitimum diem epulum Paschale celebrant: hoc est. Feriâ terciâ ad Vesperam, quod quintâ feria fieri oportuit?*

Ex communi Græcorum tam veterum, quam modernorum sententia Christus Dominus Lunâ 13^{ta} Legale Pascha celebravit. Feriâ 5^{ta} Agnum cum Azymis comedendo: sed feriâ 6^{ta}, quæ Luna 24^{ta} dicebatur, in qua Christus mortuus est, eorum opinione, fuit dies profanus, quo tamen die vespere cæperit prima dies Azymorum, consequens autem Sabbathum fuerit dies solemnissimus. Igitur secundum Euthymium aliorumque Græcorum vulgare opinamentum, Christus non celebravit Pascha cum Judæis, sed anticipavit diem unum. Quia enim postidiè erat moriturus, jamque occisus, quando Hebræi vespere Pascha manducabant, ipse manducavit illud cum Azymis juxta ritum & præscriptum legis. Eâ tamen cœnâ legali finitâ non tenebatur ad usum Azymorum, quia necdum advenerat dies prima Azymorum. Hæc Græcorum opinio, ab ipsis pertinaciter propugnata, multum conturbavit ad schisma, quod dudum ab Ecclesia Latina fecerunt.

Aliter sentit Paulus Burgenfis, ex Judæo conversus, demum Archi-Episcopus Aquilensis,

leensis, qui vult Christum anteveritisse Pascha juxta traditionem, quæ tunc observabatur apud Judæos; dum, ne celebrarent duos Festos dies continuos, solebant Pascha & diem Festum Azymorum differre in Sabbathum, quando occurrebat in feriam sextam. Fuisse autem tempore Christi hanc traditionem in usu, haberet ex quodam historico antiquissimo in eo libro, quem hebraicè inscripsit. *Seder Holam.* translato in Linguam Latinam à Genebrardo: crediturque initium habuisse statim à templo reparato, post reditum à captivitate Babylonica. Cum itaque illo anno, quo Christus fuit mortuus hic concursus contigerit; Hebræi manducaverunt suum Pascha die Veneris ad Vesperam, Christus verò die Jovis. Rupertus hanc translationem admittit diei Azymorum, non tamen Paschatis, qui fuit semper celebratus illo Vesperæ, in quem incidebat.

Atqui hi omnes volunt, quod dies Veneris, in quo Christus crucifixus fuit, fuerit ferialis: quibus accensendi illi, quorum Augustinus meminit. *Lib. 3. de consens. Evangelis. cap. 13.* qui dicebant Pascha Judæorum illo anno incepisse in sequenti Sabbatho, ideòque feriam sextam dictam esse Parasceven Paschæ. Hanc de translatione sententiam Alphonsus Salmeron, unus è decem primis Sociis JESU, scribit semper sibi placuisse, quia plurium Patrum testimonio roboratur, censetque probabiliorem, quod solidioribus rationibus nitatur.

Multi etiam Recentiorum sustinent, quod Christus Pascha illud in fermento celebraverit, inter quos Joannes Lucidus Lovanienf. Theologus, Cornelius Jansenius, Maldonatus &c. hac ratione ducti, quod Christus, qui prævenit Judæos in esu Agni, putandus sit intermisisse ceteras legales observationes V. G. quod stantes ederent, ipse verò legitur discubuisse, ergo etiam, ut non nisi in Azymo comederetur. Verùm Judæis postea in absumptione hujus Agni licuit omit-

tere multa, quæ olim præcepta, quidquid contrarium sentiat Tirinus. Non enim Jerosolymis domorum postibus aspergebant sanguinem, neque post comestum Agnum nocte exhibant, neque accinctis lumbis festinanter edebant, ut Patres eorum viatores. Attamen Azymi usum, qui est panis afflictionis, observare tenebantur, ob mysticam significationem ad quam Paulus alludit, Porro sententia de Anticipato per Christum Paschate non inertibus nititur hisce argumentis.

I. Lex præcipit Agnum immolari Luna 24^{ta}. Erat autem Agnus ille Christi typus *Joan. cap. 18. Os non comminuetis ex eo.* Ergo, ut veritas correspondeat typo, oportuit Christum mori Lunâ 24^{ta}. Quod itaque sciret hoc futurum, prævenit Lunâ 13^{ta}, comedendo Pascha cum discipulis suis.

II. Ex Sacra Scriptura illa anticipatio eruitur. Nam dum Christus dixit ad Judam. Quod facis, fac citius *Joan. cap. 13.* putabant discipuli jussisse Dominum, ut ea, quæ opus erant ad diem Festum, emeret. Quod si autem jam advenisset Pascha, seu primus dies azymorum, qui erat solemnissimus, cujus à Vespera, more Judaico, initium, non venisset discipulis illud in mentem: quibus utique constabat, lege prohibitum, illo die aliquid emere æquè ac Sabbatho; Deinde idem Evangelista refert *cap. 18.* eo die, quo Christus fuit passus Judæos ideò non intrasse in prætorium, ut non contaminarentur: sed ut manducarent Pascha, id est Agnum Paschalem, igitur eorum Paschale Festum erat Sabbatho, & Christus, qui feriâ 6^{ta} mortuus est, anticipavit comestionem Agni. *Cap. sequenti rei seriès enarratur: Judæi autem, quoniam parasceve erat, ut non remaneret in cruce eorum corpora Sabbatho (erat enim magnus ille dies Sabbathi) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura & tollerentur. Ubi magnum Sabbathum*

thum vocat propter concursum diei Sabbathi cum Paschate. Quod autem ait parasceve, vult significare, quod fuerit dies negotiosus & ferialis, in quo fieret preparatio ciborum pro magno die Sabbathi: atque hinc festinanter sententia mortis in Christum lata hoc die pro Festo. Si enim ipso die solemnè iudicium de eo constitueretur tumultus fuisset factus in populo. Matth. cap. 26. Lucas etiam cap. 23. recenset, quod Judæi causam criminalem tumultuose contra Christum peregerint. Eo jam mortuo Joseph & Nicodemus, aliæque piæ mulieres die parasceves emerunt sintonem, paraverunt aromata & unguenta. Illo itaque die non celebrabatur Pascha, quia tunc nullum opus servile fieri licebat, imò neque sepelire mortuos fas erat. Unde Joannes l. c. indicat, quod propter imminens Sabbathum properaverint Christum sepelire in monumento proximo, cum alioquin maluissent eum honorificentius, & cum majori apparatu sepelire, nisi Sabbathum institisset. Ergo dies illa, qua hoc fiebat, non erat illis Paschæ dies celebratissimus & religiosissimè observandus. Ex quibus omnibus satis probari videtur, Christum præviè comedisse Agnum Paschalem, quando Judæi postea comederunt: id, quod Joannes alibi haud obscure insinuat, dum scribit *Ante diem Festum Pascha* &c. Christum Apostolorum pedes lavasse, quando & Agnum comedit certum est.

III. Lex jubebat Levit. cap. 13. ut dies Pentecostes celebretur die quinquagesimo à 2^{do} die Azymorum inclusivè computando. Illo autem anno, quo Christus est mortuus, cecidit Festum Pentecostes in diem Dominicum, ut patet ex Ecclesiæ traditione: ergo etiam dies 2^{us} Azymorum fuit in Dominica. Nam si numerentur dies 50. à 2^{do} Azymorum inclusivè, necesse est, ut in eodem die hebdomadæ occurrat Pentecostes, in quo occurrit dies 2^{us} Azymorum. Quod si verò 2^{us} dies Azymorum fuerit dies Dominica,

fuit primus dies Sabbathi, in cuius prima Vespera Hebræi comedebant Pascha, quod Christus jam comederat, qui eo tempore in sepulchro jacuit.

IV. Celeberrimi ex omni antiquitate Patres aut apertè tradunt, aut satis indicant Christum tempore Passionis suæ prævenisse unum diem in celebrando Paschate. Et quidem S. Joannes Chrysostomus *hom. 82. in Joan.* explicitè dicit Christum comedisse suum Pascha pridie, quam illud comederint Judæi. Deinde Salvatorem prævenisse unum diem in cœna manducanda, ut reservaret mortem suam parasceve, quando etiam olim fuit Pascha. Eadem habet Theophilactus in cap. 18. *Joan.* Epiphanius quoque *heresi 50.* sic scribit: *Oportebat Christum in decima quarta die immolari, igitur pridie hoc est Luna 13^{ta} Pascha celebravit.* Ità passim alii Græci Patres. Ex Latinis verò Tertullianus *contra Judæos* advertit, prædictum fuisse, ut Christus occideretur illo tempore, quo Agnus immolabatur, hic autem juxta legem immolandus erat Luna 14^{ta} ad Vesperam, pridie ergo Pascha celebravit. S. Augustinus *tract. 120. in Joan.* Beda in cap. 19. *Joan.* observant acceleratam fuisse Christi sepulturam ob parasceven Judæorum, quia illa nocte cœnam puram comesturi essent. Anselmus in cap. 27. *Matth.* ait, se certa ratione comperisse, Christum juxta ordinem divinæ legis Luna 13^{ta} Pascha suam celebrasse & Luna 14^{ta} occisum. Similia prorsus leguntur in aliorum Patrum antiquorum relictis monumentis.

Longè plures, & ex Latinis fermè omnes, tum antiquiores, tum moderni Doctores, atque Sacrarum Litterarum interpretes, quos, recenset, sequiturque Nanus Tillemontrius *Com. Hist. Eccles. tom. 1. p. 1.* quòdque luculenter evincit ex Protestantibus Scriptor recens Samuel Bochartus *Hierozoici part. 1. Lib. 2. cap. 50.* tradunt Christum Dominum Pascha celebrasse ultimum Luna 14^{ta} ad Vesperam.

spetam, scilicet secundum morem usitatum Hebræorum; idque sequentibus testimoniis & argumentis ostendunt.

I. Omnium Evangelistarum testimonio consono habetur, Christum die ordinario Agnum comedisse Paschalem. Matthæus enim *cap. 26.* sic refert. *Primo die Azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes, ubi vis paremus tibi comedere Pascha?* Marcus autem *cap. 14.* *Prima autem die Azymorum, quando Pascha immolabant &c.* Lucas *cap. 22.* *Venit dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* Hic autem manifestè designatur Luna 14^a, quando ad Vesperam, ejecto fermentato, cum Azymis, initio nempe Lunæ 15^æ Hebræi Agnum Paschalem manducabant. Deinde Joannes affirmat, diem illum, quo Christus fuit crucifixus, id est, feriâ 6^{ta} fuisse solemnem ac Festum, ergo antea comedit Pascha, scilicet pridie Passionis, juxta illud apud eundem Evangelistam *cap. 13.* *Ante diem Festum Paschæ, sciens Jesus, quia venit hora &c.* Deinde dies Paschales jam inchoatos, quando Christus ad mortem condemnabatur, eruitur tum ex verbis Pilati, allegantis consuetudinem, ut unus reus dimittatur in Paschate; tum ex verbis Judæorum ibidem ad Pilatum: *Nobis non licet occidere quenquam,* scilicet, ob Festum Paschatis; quod tunc celebrabatur. Præterea Christus, dum curavit dici cuidam Jerosolymis habitanti: *Apud te facio Pascha cum discipulis meis Matth. l. c.* Si Pascha prævenire intendisset, hunc hominem oblectantem reperisset, quod tamen non legitur: quin Lucas *cap. 14.* perhibet Salvatorem dixisse ad discipulos, se apud eundem reperturos omnem ad coenam Paschalem apparatus; sed ad quid ille; si Agnus ibidem nondum comedi debuisset?

II. Quod si Christus in celebrando Paschate diem à Lege præscriptum prævenisset, requisiti falsi testes, qui non habebant, quod

contra innocentem deponerent, utique illum accusassent, quod tanquam Legis prævaricator, & communis observantiæ transgressor scandalum præbuisset. Rursum, discipuli non ignorabant, quod post biduum Pascha essent Judæi celebraturi. Hinc Christus ait: *Scitis, quia post biduum Pascha fiet.* Id est; feria 5^{ta}. Idem etiam pro more & ex præscripto Legis Pascha celebrandum erat, Magistrum suum requirunt, ut Pascha statutum ordinare & parari vellet.

III. Catholica Ecclesia perpetua traditione & communissimè receptâ sententiâ tenet, quod Christus verè ille Agnus fuerit occisus ipso die solemni Paschatis: quemadmodum antiquissimi Patres etiam testantur. Cùm ergo pridie in nocte, qua tradebatur, Agnum comederit, comedit illo die, quo Lex præceperat, ut apertè scribunt ex Græcis S. Chrysostomus *hom. 85. in Matth.* Theophylactus, Theophilus Alexandrinus apud Bedam *Lib. 1. de rat. temp. cap. 57. & 59.* Theodoretus in *Exod.* Ex Latinis, Tertullianus *cont. Jud.* Cyprianus *Serm. de Coena* Ambros. *Epist. 83.* Hieronymus *in cap. 26. Matth.* Augustinus *Epistol. 86. ad Casulan.* Græci quidem, qui, ut Barradius *Conc. Evang. tom. 4. Lib. 1. cap. 4.* scribit, in media Luce cæcutiunt, textus Scripturæ suæ opinioni contrarios, in alium sensum extorquere conantur. Neque fuerunt insensati, quemadmodum videre est apud S. Thomam in *4^{to} Dist. 11. quest. 2. art. 2. quest. 3.* qui dicere ausi fuerunt tres primos Evangelistas errasse, atque à Joanne correctos, quasi huic uni potius adhibenda fides, quam tribus. Verum, rejectis hisce blasphemis ac delitiis, aliorum tum modestiorum Græcorum explicationes, tum Scriptorum recentiorum solutiones ad argumenta audire lubet.

Ad Primum Respondent, quod Evangelistæ Locis citatis intelligendi sint de die Azymorum, non qui jam aderat: Sed qui proximè instabat. Atque ita usus passim obtinuit in Scriptura Sacra, ut designentur dies alii solemnes tanquam præsentēs, qui proximè imminēt. Hunc pariter in modum interpretari conatur textus citatus Augustinus Calmetus *Comment. in Matth.* ubi Pascha à discipulis, jussu Christi paratum *Matth. cap. 26.* exponit de dispositione triclinii, mensarum, Lectorum, farinae & aquæ ad panes Azymos, proximo die conficiendos, nec non de purgatione Cameræ, expurgatione frumenti &c. sic etiam sentit P. Tournemienus *loc. cit.*

Alit ut hæc inania videri possent interpretamenta, ex judicio præoccupato provenientia, prioribusque Commentariorum Scriptoribus incognita, Evangelistæ Matthæus & Marcus conceptis verbis referunt, Apostolos primo die Azymorum Christum interrogasse. Et Marcus addit. *Quando (jam aliqui Judæorum) Pascha immolabant.* Lucas testatur venisse illum diem, in quo cunctis Judæis necesse erat occidi Pascha. Quodque ait: Venit. Utique intelligendum est in præterito perfecto, ut habetur ex textu Græco. Deinde ex Evangelio liquet, Christum celebrasse ultimum Pascha pridie Passionis, illiusque loco instituisse sacratissimam Eucharistiam. Cùm ergo 15^{ta} die in plenilunio, id est, primo Azymorum die Festo fuerit crucifixus, ut habet communis Patrum traditio, manifestè sequitur, quod die Jovis præcedente ad Vesperam Pascha comederit, quando Hebræi Lumine Lucernæ, ut Talmutici narrant, scrutabantur fermentum, ne quid minimi in domo absconditum remaneret. Apertè S. Augustinus suffragatur *Loc. cit.* *Quintam Sabbathi Matthæus dicit fuisse primam diem Azymorum, quia ejus Vespera sequente futurum erat Cæna Paschalis, qua Cæna incipiebat*

Azymorum, & ovis immolatio manducari.

Qui censent jus supplicii capitalis Judæis tunc sublatum, vel restrictum ad certum genus supplicii, voluntque verba Joan. *Nobis non licet occidere quenquam.* non ob Festum intelligi; sicut cum S. Augustino intelligunt plerique: sed sensu generali, de jure gladii, Judæis tunc profus ablato per Romanos; eorum, inquam sententia ex Sacra Scriptura refellitur, tum quod Judæi voluerint Christum lapidare *Joan. cap. 10.* Sanctum Stephanum lapidaverint *Act. cap. 7.* tum quod Judæi conquerantur apud Felicem Præsidentem Syriæ, quod volentibus Paulum secundum legem suam interficere, tribunus Lysias eum violenter de manibus eorum eriperit. *Act. cap. 24.*

Ad Secundum Respondent. Quod Christus Dominus clanculo in domo Patrisfamilias fidi & taciturni Agnum Paschalem comederit, de quo nemini, nisi Apostolis constiterit. Aliorum est placitum, quod Lex non prohibuerit anticipare usum Agni Paschalis: sed ne ultra diem statutum differatur: adeoque Judæi non habuerint ansam Christum inde traducendi, quasi esset Legis prævaricator.

Sed primum nullam obtinet veri speciem, neque enim Agnus Paschalis mactari potuisset in secreto, admisso etiam quod Patresfamilias, (quæ Lyran, Tirini &c. est sententia) & non Levitæ, Agnos in suis mactarent ædibus, quin non aliqui ex domesticis hoc rescivissent, & veluti inusitatum propalassent. Immo, cæteris omnibus rem silentio prementibus, Judas proditor, qui certè interfuit, mox à Cæna surgens retulisset.

Anticipatio Paschæ nunquam licita fuit, neque illius extat in Scriptura Exemplum uti dilationis *Num. cap. 9.* cùm quidam immundi super anima hominis, ut textus habet, non possent cum universa multitudine

facere Phasæ die constituto, Moyses, pro iis consulens Dominum, respondit, eos debere celebrationem differre usque in mensem secundum: quod quidem ad alios deinceps, Legitimo impedimento detentos, extendit Tirinus post Estium: ast Serarius rectius negat. *Quamquam Lib. 2. Paralip. cap. 30. Sacerdotes & Levitæ inito consilio Regis Ezechia & Principum, & universi cætus Jerusalem decreverint, ut facerent Phasæ mense secundo: hoc enim evenit, quia Sacerdotes, qui possent sufficere, sanctificari non fuerant; hoc est, non erant initiati, & consecrati juxta ritus præscriptos Levit. cap. 8.*

Ad Tertium Respondent, quod Ecclesia Orientalis; seu Græca perpetuo, & etiamnum, approbantibus, aut saltem permittentibus Pontificibus Romanis & Conciliis œcumenicis, pane fermentato in Sacrificio utatur, idque ex eo potissimum capite, quod constanter crediderit, & cum Patribus Græcis universim docuerit Christum adhibuisse in ultima cœna panem fermentatum; quod, cum Lunâ 14^{ta} non licuerit; sensit Lunâ 13^{ta} ultimam cœnam instituisse. Dumque Ecclesia Latina etiam in fermentato Sacrificium aliquando confecerit; idem sensisse videtur.

Quis vigor & quale robur huic responsioni insit, patet ex dictis: magisque patebit ex dicendis. Fatendum quidem erit, Ecclesie Græcæ morem sacrificandi in fermentato suis congruentis non carere; ideoque multis recto sæculis observatum fuisse; præsertim, cum nullum Christi extet præceptum de adhibendo azymo vel fermentato. Ut ut etiam Ecclesia Romana, sicut Sertus, Durandus, aliqueasserunt, ipseque S. Thomas in 4. dist. 11. art. 2. quæst. 3. refert, ingruente Ebionitarum hæresi, de necessaria legalium observantia, ne huic huic consentire videretur, fermentum adhibuisse, non tamen ideo sensit, Christum in fermentato pane Sa-

cramentum confecisse, quæ ab Apostolis, fundatoribus, sicut Innocentius III. dicit, accepit, ut in azymo consecraret. Imò Mabillonius dissertationem edidit, quæ contra Sirmundum & Eminentissimum Cardinalem Bona (licet huic Librum inscripserit) probare nititur, perpetuum fuisse solius azymi panis in Ecclesia Latina usum; nec Photii tempore adhiberi cœpisse. Quadriennio post evulgatam dissertationem Joannes Crampinus, Magister Brevium Romæ, in *conjecturis de perpetuo azymorum usu*, probat, ex quovis sæculo adductis Authoribus, contra Duumviros citatos, ab ipso nascentis Ecclesie exordio perpetuum in Ecclesia Romana azymorum usum viguisse. Et quamvis in Melchadis, ac Siricii decretis, sicut & in Epistola Innocentii I. ad Decentium, fermentati fiat mentio, quo Eucharistiam notari censuerunt Espenceus, Latinus, Sirmundus, Bona & Lupus; non tamen hi Authores eandem appellationis istius rationem adducunt. Cum aliqui non à panis fermentato, Eucharistie materia; sed ob alias causas illi nomen Sacramenti obtigisse putent: Interim Cusani, Baronii, Bini, Raynaudii, Macedonis, Altaerræ &c. videtur præferenda opinio, qui Eulogias, seu panem, benedictum quidem: sed non consecratum, cujus in Ecclesia Gallicana etiamnum perseverat usus, fermenti voce designari volunt. Neque tamen Mabillonii, & quorundam aliorum sententia probabilitate caret, qui hanc vocem ad disciplinam arcani referunt, & sub fermenti nomine Eucharistiam, eo sine velut absconditam, fuisse dicunt; ne mysteria hæc infidelibus paterent: Cum olim id in more fuerit, ut Eucharistie Sacramentum ænigmaticis ejusmodi appellationibus involveretur.

Dispicendum nunc, quanti valeant argumenta eorum, qui evincere moliantur, Christum non comedisse Agnum Paschalem die à Lege, vel consuetudine præfixo

Quibus, ut sequitur, respondendo satisfacere sibi persuadent, qui contra sentiunt, peractum scilicet Pascha illo die, quo ab omnibus celebrari solebat.

Ad Primum Respondent. Fuit quidem Agnus, in Paschate immolatus, typus Christi; non tamen est opus, ut ad amissim veritas typo, figuratum figuræ correspondeat. Satis est Agnum fuisse typum; Quia, ut ille Agnus immolabatur, sic Christus, innocentissimus Agnus, in Crucis ara, fuit immolatus. Non fuit opus eodem die immolari, alioquin etiam eadem horâ immolari debuisset, id est Vesperis, cum tamen Christus in meridie fuerit in Cruce mortuus. Imò non incongruè dicitur, quod Christus fuerit immolatus, quo die Agnus immolabatur; quia Luna 14^{ta} incruente immolatus fuit; dum semetipsum Patri in Sacrificio Eucharistiæ obtulit. Deinde Agnus occisus est feriâ 5^{ta} vesperi: Christus eodem die Festi, quod exordium vesperi sumebat, & in feriam 6^{tam} protrahatur usque ad vesperam. Itâ Barradius *Com. in 4. Evangel. tom. 4. Lib. 1. cap. 4.*

Ad Secundum Respondent; & quidem ad locum *Joannis 18.* diversimodè. Dicunt quidam Principes Sacerdotum nocte illa in parandis iis, quæ ad Christi apprehensionem necessaria erant, occupatos, sua auctoritate esum Agni Paschalis distulisse in feriam 6^{tam}. Quia existimabant se obsequium præstare Deo, si Christum data occasione apprehenderent, etiamsi Agnum postidie comederent. Hæc est sententia S. Joannis Chrysostomi *hom. 85. in Matth. Theophylacti in cap. 26. Matth.* & quorundam paucorum. Alii volunt per comedendum Pascha non intelligi ipsum Agnum paschalem, utpote, qui comestus erat: sed panes azymos. Quæ est opinio S. Thomæ Aquinatis Innocentii III. *Lib. 4. de Sacram. Alt. cap. 4.* favitque S. Augustinus *tract. 114. in Joan.* qui, ut sensum adæquent, sen-

tiunt, quod ad esum azymorum panum, quodammodò Sacrorum, legalis mundities fuerit requisita, aut saltem hujusmodi munditiem Phariseos & Scribas, majorem affectantes perfectionem, in esu illorum observasse. Probabilior eorum videtur interpretatio, qui per comedendum Pascha hîc intelligunt seu victimas Paschales, hostiasque pacificas, quæ ex ovibus, & bobus quotidie tempore Paschali immolabantur, & non nisi à mundis edi poterant. *Deut. 16. Immolabis Pasche Domino Deo tuo de ovibus & bobus in loco, quem elegerit Dominus.* Et subiungitur. *Non comedes cum eo fermentatum. Septem diebus comedes cum azymo panem afflictionis.* Quo datur intelligi, totidem diebus manducari Pascha. Agnus autem Paschalis uno die tantum comedebatur. Legimus item *Paralip. 35. Dederunt Sacerdotibus ad faciendum Pasche pecora duo millia & boves Sexcentos.* Huc aptè confert Bellarminus illud, quod *Josephus Lib. 3. antiq. cap. 13.* scribit, quod *Num. cap. 28.* habetur, de immolatione duorum vitulorum, arietis, hirci & septem Agnorum, quæ fiebat singulis diebus Paschæ, vitulos, arietem & Agnos holocausta fuisse: sed hircum fuisse Sacrificium pro peccato, ex quo quotidie parari solebat epulum Sacerdotibus. Et hoc epulum erat illud Pascha, quod non licebat nisi mundis comedere, ut est *levit. cap. 22.*

Ad illud Joannis *Parasceve* dicitur: Falsum esse, quod illum Festum Judæorum, præter Sabbathum, pridie habuerit Parasceven. Hoc enim idè fuerat constitutum: quia Sabbatho coquere, aut elixare non licebat. Quovis autem Festo, etiam solemnissimo Paschatis, id lex permittebat. Nulla proinde fuit ratio, cur parasceves præfigeretur. Hinc *Marcus cap. 15.* dicit fuisse parasceven, *quod est ante Sabbathum,* & illud parasceve Paschæ vocatur; quia præparatio illa in Festum Paschatis incidebat. Quod

Lucas cap. 23. expressit: *Et dies erat Parasceves & Sabbathum illucescebat.* Itaque parasceve illud non designat diem ante Pascha, sed ante Sabbathum. Neque ideo Sabbathum vocatur à Joanne Magnus ille dies Sabbathi, quod Festum Paschæ in eo eveniret, aut translatum fuerit: sed quod inter septiduum azymorum occurreret. Quod ex Luca adfertur, parum evincit. Quia Levit. cap. 26. in Festo azymorum prohibentur opera servilia, non tamen opera charitatis & pietatis. Et quia prohibebatur Deut. 21. ne permaneat cadaver in ligno: sed jubebatur, ut eo die sepeliretur: hinc Joseph, Nicodemus, aliæque piæ mulieres, ob instans Sabbathum, ea procurarunt, quæ ad sepulturam erant necessaria. In Sabbatho namque major quies præcipiebatur, quam in ullo alio Festo. In Sabbatho siquidem ignis accendi non poterat, neque cibi preparari debebant, quod tamen in aliis Festis licebat, ut pater Exodi cap. 12. Quoniam verò nulla Scriptura prohibebat diebus Festis insontes inquirere: quin Num. cap. 15. Moysis ævo, ipso die Sabbathi lignator legitur missus in carcerem; licere sibi hujusmodi existimabant Sacerdotes, & plebs Judæorum, dum in Paschate Christum in jus trahunt, testes producunt, mortem urgent; qui antea in Festo tabernaculorum lictores miserant, ut manus in Christum injicerent; quinque in Festo Encaniorum lapides tulerant, ut illum obruerent. Illud demum quod Joannes scribit *Ante diem Festum Pasche*, Id est, ante diem primum azymorum contigisse, intelligendum est de die artificiali, ita ut sensus sit. Inchoante jam nocte, priusquam illucesceret dies Festus Paschæ feriâ sextâ, Dominus lavit pedes discipulorum suorum.

Ad Tertium Respondent. Dies Pentecostes numerandos esse à primo die profano post Festum primæ diei azymorum, adeoque illo anno, quo Christus passus est, numerari debuisse tertia die azymorum, quan-

doquidem dies secunda in Sabbathum incidisset, atque ab ipsa die tertia azymorum, quæ fuit Dominica, & quando oblatio manipuli fieri debebat, numerando usque ad Festum oblationis panum & hebdomadarum, quo Spiritus Sanctus descendit, inveniuntur dies 50. Pro hac opinione citatur S. Epiphanius *heres. 51.* ubi tamen id clarè non exprimit. Clarius Rupertus *Lib. 10. de offic. cap. 12.* Emanuël Sa *Art. 2.* Baronius *ad annum 34.* Sigonius *Lib. 3. de Republ. Hebr. cap. 10. & 18.* Francolinus *Lib. de Hor. Can. cap. 84. & 94.* Bellarminus *Lib. de Festis cap. 13. & Lib. 4. de Sacram. Euch. cap. 9.* ubi scribit mirum esse, quomodo in eandem solutionem incidere in responsione ad argumentum cum Francolino, cum neque Librum ejus viderit, quando de Festis scribebat, neque Francolinus à Bellarmino edita legerit, utpote tunc necdum evulgata. Neuter tamen, quod insuper mirari libet, hujus observantiæ, in inchoando computum 50. dierum, testimonium adfert, cum uterque ex Authoribus citatis, qui antea scripserunt, sic opinandi ansam desumere potuerint. Probandum restat, secunda die azymorum in Sabbatho occurrente, uti occurrit eo anno, quo Christus Dominus passus fuit, non licuisse, ut alias fieri oporteret, ex messæ eo tempore segete manipulum frugum offerre cum binis juvencis, uno ariete & Agnis septem in holocaustum: quandoquidem manipulus teste Josepho *Lib. 3. antiq. cap. 10.* è vicina regione Jerichuntina ferè peti solebat, ubi facilè diebus quindecim ante maturescebant segetes, quam in alio Judææ tractu. Neque manipulus ille offerebatur ad Altare unâ cum spicis & paleis, sed, ut idem Author tradit, siccabatur primum de inde pilo tundebatur, mox furfurum excretionem repurgatus sola simila Deo offerebatur. Atque his omnibus, præviè peractis, ipsa die secunda azymorum, etiam in Sabbatho occurrente, sine strepitu, aut labore oblat

oblatio fieri poterat. Porro cum hujus dilationis vestigium neque in Sacris litteris reperitur, aut aliunde eruatur, eandem facile rejicient, qui anticipatum Pascha defendunt. Neque credibile est, Judæos, discipline observantissimos, præfixum diem ex motivo religionis mutasse, quo ipsum per actiones Sacras colere religio exigebat.

Cæterum Argumentum quod Bellarminus vocat difficillimum, alleviari posse videtur, si dicatur, quod descensio Spiritus Sancti circa Pentecosten Judaicam, sequenti scilicet die contigerit: atque ita concludit Doctorissimus Franciscus Suarez *tom. 3. part. 3. d. 46. sect. 1.* postquam hanc difficultatem fusè agitasset. Id quidem Theophilo Raynaudo displicuit *tract. de prima Missa & prærog. Christi Pente. sect. 1. cap. 7.* quod hac ratione evèratur correspondentiâ dierum, quibus Lex vetus & nova sunt datæ, neque tunc uterque dies sit Dominicus & quinquagesimus à Paschate, quod tamen Patres, fatente Suarez, agnoscunt. Sola ergo hujus difficultatis enodatio ea esse videtur præfato Raynaudo, quam tradunt Azor & Sanctius, quod computatio dierum sit faciendâ à 2^{do} die azymorum *Exclusivè*. Ast Cornelius à Lapide in *Levit. cap. 23.* citans pro ea opinione Radulphum, Riberam & Vasquez observat tunc non dies 50. sed 49. computari posse. Deinde expressè præcipitur initium computûs. *Numerabis ergo ab altero die, scilicet Paschæ, sequente: ubi primus dies excluditur, & secunda includitur.* Quod contra Suarez opinionem opponitur; perquam facile elevatur, si Lucas *Act. 2.* intelligatur de Pentecoste Christiana, non Judaica, ut intelligi vult citatus Cornelius à Lapide, refragante licet Raynaudo. Cum enim Apostoli mox post Ascensionem Christi Domini mutarint Sabbathum in Dominicum atque Moyse Pascha in Pascha Christi; ergo etiam Pentecosten ab illo tuppurârunt.

Dum igitur completeretur dies quinquagesimus à primo Paschate Christiano. Seu, si mavis. Dum pridie completa esset Pentecostes Judæorum, & compleri inciperet ei succedens Pentecoste Christianorum, advenit &c. Atque hoc interpretamento nihil probabilius solidè dici posse autumat iste Litterarum Sacrarum interpres nominatissimus, quod variis argumentis plausibilibus evincere satagit.

Ad Quartum Respondent. S. Chrysostomus & Theophylactus volunt, quod Principes Sacerdotum Pascha concedere distulerint: pridie itaque, quo illi commederunt, Christus commedit cum aliis Judæis, ut sic mortem suam reservaret in parasceven, quando olim Paschale Festum incipiebat. Epiphanius ait de immolatione Christi in typo, acli diceret. Oportuit Agnum, qui figura est Christi, immolari Lunâ 14^a ad Vesperam. Tertullianus rectè prophetiam allegavit, quod Christus Dominus immolandus esset ipsa die, quæ Agnus immolatur, quæ vesperiferiâ 5^a incipiebat, & usque ad feriâ 6^{am}, quando Christus passus est, extendebatur. S. Augustinus & Beda non loquuntur de Agni Paschalis immolatione. Sed de cœna quadam solemni, quàm Judæi feriâ 6^a ad Vesperam sumebant initio Sabbathi. Opus citatum si Anselmi censetur interpolatum, qui aliàs docuit sententiam contrariam in *comment. cap. 26.*

Atque ex his sufficienter confutati videbuntur Euthymius, Nicephorus alique Græci, qui volunt Christum Pascha manducasse Luna 13^{is} mensis primi. Sequenti autem die, post Christi mortem ad occasum Solis incepisse Pascha Judæorum. Omni quoque probabilitate destitutum est opinamentum Pauli Burgensis & Ruperti Tuitiensis: quandoquidem viri in antiquitatibus versatissimi negant hunc morem transferendi Festa, si cum Sabbatho concurrat exitisse tempore Christi. Cum Josephus *Lib. 13.*

antiquit. cap. 16. scribat. Pentecoste instaurat post Sabbathum. Et Abon Ezra relatus à Genebrardo Lib. 2. Chronol. docet, majores suos nunquam transfuisse Pascha, quod in Talmut, diu post Christum confecto, legitur die 2. 4. & 6^{ta} celebratum. Nimum proinde quidam è recentioribus crediderunt Paulo Burgenfi, quasi in ritibus Judaicis magis perito: quos vel hæc sola premit sequela: ex hac translatione idiolum evenire, quod impedire Judæos voluisse persuasum habent. Quodli enim primus sepridui azymorum dies in Sabbathum translatus fuisset, ne duo Festa concurrerent, Pascha scilicet & Sabbathum ultimum certè in feriam 6^{tam} incidisse erat necesse: quo casu duo Festa equidem concurrerent, quia primus & ultimus dies azymorum ex præcepto legis æquè Festi fuerunt.

His ità constitutis necdum omnis difficultas planè sublata videtur. Tres enim Evangelii Scriptores priores referunt primo die azymorum, atque ità die Paschæ, cujus à Vesperta initium fuit, in ultima Cœna Christum Corporis & Sanguinis sui Sacramentum instituisse, quo die mortuus. Joannes autem memorat, non ipso die Paschæ, sed pridie Christum cum discipulis cœnasse. Ab hac difficultate ut se expediret Pater Joannes Harduinus Soc. Jesu ævo nostro polygraphus eruditionis non preletariæ, eolibro, quem de hac celebri ac intricata Controversia divulgavit Luteciæ Parisiorum Anno 1693. conjectationem suam, quam in variis Sacræ Scripturæ locis, à se citatis vult fundatam, judicioque eruditorum virorum subjectam, exponit: fuitque eadem sibi visa in nullas difficultates incurrere, quibus obnoxia sunt reliquæ conjectationes ante hunc diem propositæ. Potuit ergo Author ille, ut in aliis quibusdam heteroclitus, & quomodò Plinius Lib. Epist. 182. scribit, sinisteritatis famam consequutus; sibi usurpare illud O. diss.

Nunc alium tentabo scopum, si attingere possum,

Quem nondum quisquam tetigit.

Constituit autem duas Vesperas maectationi Agnorum Paschaliu fuisse destinatas, ex amplissima epulantium multitudine id deducens, cum sub Josia Principe ultra triginta septem millia, tempore verò belli Judaici ut Josephus Lib. 7. de eo cap. 17. Author est, ducenta, & quinquaginta sex millia & quingenti Agni occisi sint. Atqui sub Josia usque ad noctem Sacerdotes fuerunt occupati in maectatione Agnorum, ut legitur 2. Paralip. cap. 31. hoc est usque ad cœnæ horam legitimam. Siquidem Josephus Lib. 10. antiq. Judaicar. cap. 5. causam reddit illius quod loc. cit. in Scriptura legitur, à Samuëlis temporibus usque ad illum diem nulla talis festivitas celebrata fuerit, quia tum omnia juxta præscripta legis & antiquas consuetudines peragebant Sacerdotes.

Et quia omninò incredibile arbitratur Harduinus, quod Josephus narrat Agnos illos tanto numero intra bihorium occisos, à nona quidem hora usque ad undecimam, tum ob templi ambitusque angustias, tum ob auctoritatem Scripturæ Sacræ, quæ sub Josia Rege numerum Agnorum sextuplo ferè minorem, una Vespere, hoc est, quater nis ad summum horis, nonnisi festinatam maectari potuisse testatur cit. capite vers. 13.

Quodli verò Josephus neque in eo mereatur fidem, dum loc. cit. de bello judaic. scribit Hierosolymis extitisse vicies centena ac septuaginta millia hominum, licet tantæ multitudinis capacem fuisse tanquam certum confirmet ex numeratione sub Cestio, tempore Neronis, facta: vel duplo saltem majorem fuisse numerum Christi Domini tempore Pascha celebrantium, quam sub Rege Josia, quando Israël à Juda fuit divisus, extra

ambiguum est collocandum : præsertim quando Galilæi, quorum vastissima Provincia, altero tanto amplior erat, quam Judæorum; diu ante tempora Herodiana in unam eandemque religionem cum Judæis convenerint, quemadmodum etiam ex Æthiopia *Aët. cap. 8.* adveniebant plures, utique ex locis vicinioribus, præter advenas, profelytos, quorum numerus eo tempore erat propemodum infinitus, quod Josephus observat scribens *Magna verò hac multitudo ab extraneis congregabatur.* Cum igitur ex una parte certum sit, tempus, quo Agnus comedi debebat, scilicet inter unam alteramve horam post Solis occalum, ut colligitur ex *Luc. 22. Et cum facta esset hora, discubuit;* pariterque definitum tempus, quâ immolatio ex lege peragi debebat, scilicet inter duas Vesperas, quod spatium erat quatuor circiter horarum. Ex altera verò parte impossibile videatur, illo tempore Agni comestionem, ac immolationem à tanta multitudine fieri potuisse; credi posse autumat citatus Author, ingenioso prorsus, religiosoque consilio, in tanta convivarum multitudine supra positionem alterius Vesperæ excogitatum; ut nempe alii, aliis uno die ferius, Neomeniam civilem computaverint; & alterâ quidem Vesperâ convenæ è regno Judæ cum civibus Hierosolymitanis Pascha immolârint, alterâ Israëlita sive Galilæi: quamvis tum hi, quam illi, eodem die, quem Lunam 15^{ta} mensis primi numerabant. Unde sequitur, quod, Anno Christi supremo, aliud fuerit Pascha, & primus dies azymorum, de quo tres priores Evangelistæ, alius dies Festus sive solemnitas dies Paschæ, de quo Joannes. Ille siquidem fuit dies Pascha Galilæorum, quem Christus ex Galilæa oriundus, celebravit, Iste Judæorum Paschæ destinatus fuit. Hinc etiam oritur, octo fuisse dies azymorum, quot & hodie dum Judæi observant, licet septem tantum diebus unaquaque turba Paschate

fungeretur. Quo admissio, nulla, in computandis diebus quinquaginta usque ad Pentecosten, quod in Dominicum diem incidisset, restabit difficultas: si à secundo die azymorum post Pascha, à Galilæis per esum Agni celebratum, sumatur computandi initium. Ne verò Author eruditissimus hæc gratis asserere videatur, adducit regulam, etiamnum à Judæis usurpatam, quæ Hebraicè vocatur *Badu*, qua ordinatum fuit, ut, si in feriam 2. 4. vel 6. quæ vocabuli illius designantur litteris, Pascha, sive dies 15^{tus} mensis Nisan, incidit, tunc priore Galilæi, sive Israëlita, Pascha peragerent: postridie Judæi. Si autem in feriam primam, tertiam, vel quintam, Sabbathumve incidit, illis Judæi Pascha celebrarent, Galilæi postero die. Hoc concessio nulla inter Evangelistas verborum pugna, aut contradictio suspicio superesse creditur: sed nativo maxime genuinoque sensu, qui conveniat ritibus Judæorum, ubique accipi. Faretur interim Harduinus huic suæ suppositioni adversari, qui regulam *Badu* non intellexerunt: quam dicunt; sed sine teste, neotericam, seroque receptam, & longè à Christi sæculo inventam; atque admissam sæculo VI. seu post annum millesimum, ut Thomas Lydiatus. Alii, ex superstitione veriùs, quod sit causa & origo regulæ illius, usque ad hunc diem incomperta, censent. Paulò aliter Paulus Pezronius, Abbas Scriptorque in Gallia celebratissimus, hoc negotium expedire satagit, in dissertatione de Paschate; in qua Evangelistas super hoc punctum concedere nititur, simulque viros doctissimos Lamyum, & Tillemontium; qui non minori modestia, quam eruditione, campum istum fuerant nuper ingressi, conciliare studet. Quod, ut fiat, id primò demonstrare aggreditur: duos dies sibi immediate sequentes Judæos celebrasse, quorum utrumque tanquam diem decimum quartum mensis Nisan consideravit. Ut verò

hoc obineat, ante omnia sibi demonst-
 randum esse censet, Hebræos veteres, in con-
 stituendis mensibus suis lunaribus, tam ad
 conjunctionem, quam ad phasin Lunæ re-
 spexisse; cūque Luna ad eò duo habent in-
 itia; duas quoque decimas quartas necessa-
 riò eam habuisse sequitur, quibus Pascha ex
 præscripto Legis ritè celebratum fuerit. In
 hac hypothèsi, ferià 5^{ta} Christum come-
 disse Agnum Paschalem Author statuit, quæ
 dies erat decima quarta post conjunctionem,
 sive à nova Luna. At eundem feria 6^{ta}.
 Principes Sacerdotum quoque, Joanne in-
 nuente, manducasse, quod illa esset decima
 quarta dies à phasi. Duo itaque novilunia
 Judæos habuisse defendit. Quod tantò mi-
 nus mirum videri debet, quandoquidem
 Græci quoque, & inter eos cultissimi Athe-
 nienses, eundem morem secuti sint. Illud-
 que adhuc patet ex modernorum Judæorum
 assertione, qui in eo conveniunt; Patres
 eorum, non ita pridem, duo novilunia ob-
 servasse, id, quod Petavii, & quorundam
 aliorum testimoniis confirmatur. Ipsa etiam
 Sacra Scriptura gemina novilunia perhibet.
 Cum enim 1. Reg. cap. 21. David usque ad
 tertium diem delitasset: argumento est,
 quod bidduum esset Festum, ob geminam
 Neomeniam; unde & Binomenia in He-
 braico textu disertè nominatur. Hac ratio-
 ne citatus Scriptor dispelli simul interpretum
 putat tenebras, qui bidduam hanc solemnita-
 tem digerere non valuerunt, quæ pariter lib.
 Judith. cap. 8. insinuatur. Alia insuper pro
 gemina hac Neomenia adducit argumenta
 ex monumentis antiquorum, tum Sacrorum,
 tum profanorum Scriptorum: ac denique
 sic ratiocinatur. *Cum Deus præciperet quintà
 decimà mensis die Pascha celebrari, quomodo
 id quæo accepisse Hebræos existimabimus?
 Mensis sanè, quem Luna cursu metiebantur
 renovabatur cum ista Planeta. Cur igitur
 eodem jure decimam quartam mensis diem in
 hac lege præfinitam à renovatione Lunæ, qua*

*fit in conjunctione ejus, quam à phasi ejus, qua
 die post contingit non computarent? Cùm ita-
 que dubia esset Lex, aliter conscientia vacil-
 lanti consuetudine non poterant, quam ut utrām-
 que diem, hoc est, & eam, qua à conjunctio-
 ne, & illam, qua à Phasi ejus decimam quartam
 esset; hoc est, decimam quartam & decimam
 quintam mensis solemnem esse juberent. Hinc-
 que provenire docet Pezronius, quod re-
 centiores, æquè ac veteres Judæi octo dies
 azymorum observent, teste Josepho Lib. an-
 tiquit. 2. cap. 5. cū septem tantum obser-
 vari Lex postulet. Neque ipsos Caraitas à
 Rabbinitis in ista duarum Neomeniarum
 observatione dissentire persuadere cona-
 tur.*

Ut ut hæc à præclarissimis ac eruditissimis
 viris ingeniosè adinventæ ob rationes non
 minimi momenti & antiquorum autoritates
 videri possent satis probabilia & plausibilia;
 quibus multa sibi, ut apparent, repugnantia
 conciliari possent; pares tamen utriusque
 opinio subit difficultates. Quantum enim
 turbarum Hierosolymis fuisset, si una pars
 Hebræorum, unum Deum, eodem ritu co-
 lentium, Agnum immolasset, altera verò
 non immolasset? aliis Luna 15^{ta} mensis Ni-
 san dies Festus fuisset, aliis negotiosus &
 profanus? si aliis edenda azyma, fermentata
 aliis permisa? si hi manipulum obrulissent,
 hi offerre distulissent? quæ tamen omnia eo-
 dem die ab omnibus mundis observari Deus
 præceperat. Fuisset etiam talis, ut diei Pa-
 schatis, sic Pentecostes celebrandi varietas.
 Alii hodie, alii cras Festum hebdomadarum
 inchoassent non sine Ordinis omnis pertur-
 batione. Ubi autem nullus servatur ordo,
 nulla est ædificatio, exigua religio. Cū
 igitur Authores Spectatissimi, ad intricata
 solvenda, hujusmodi proferunt; videri pos-
 sent vorfuram solvere. Ne verò in infinitum
 hujus Controversiæ trahatur funis,
 esto finis. *Et quis disceptandi*

finis

finis erit ac loquendi modus, Quærit S. Augustinus. *Lib. 2. de civitat. DEI in Ex-*
dentibus semper existimemus. ord.



CONTROVERSIA VII.

D E

Ætate Christi Domini.

O Perosè à pluribus discussa multumque agitata, necdum tamen perorata quæstio est. Quot annis Christus Salvator noster hîc in terris vixerit. De eo quidem antiquiores à modernis Scriptoribus valde discrepant: sed neque hi inter se convenire possunt. Fuere namque, qui putarunt Christum Dominum fermè fuisse quinquagenarium, cum pro salute mundi in Cruce pependit. Ità S. Irenæus *Lib. 2. cap. 39. & cap. 40.* ac alii quidam apud Sanctum Augustinum *Lib. 2. de Doctri. Christ. cap. 28.* eisdem erroris arguentem. Irenæi quidem locum citatum esse corruptum contendit Cardinalis Baronius, quod & videtur Antonio Pagio, qui, esto illud aliunde ex eodem Irenæo remonstrare conetur, variantem tamen lectionem in antiquissimis MSS. exemplaribus producere non potuit; præsertim cum hanc suam opinionem Irenæus non uno in loco manifestet; idque Evangelium & omnes Seniores testari asserat, qui in

Asia apud discipulum Domini hoc audiverunt. Ex adverso Julius Africanus, Lactantius, Clemens Alexandrinus voluerunt Christum Dominum hîc in terris tantum vixisse annis 29. atque anno trigesimo inchoato fuisse mortuum, eodem, quo baptizatus fuerat. Alii rursus, inter quos Apollinaris Episcopus Laodicensis, referente S. Hieronymo in *cap. 9. Daniel. Orosius, Sulpitius, Philastirus,* arbitrantur Salvatorem nostrum anno ætatis 32. inchoato mortuum. Sed ut errores prioritate temporum adjuvari nequeunt, sic horum, quantumcunque antiquissimorum Patrum, opiniones, quia cum Scriptura Sacra conciliari non possunt, omninò rejiciendæ erunt. Petrus Lombardus, Petrus Comestor &c. anno 33.º incepto Christum crucifixum sustinent, Neque desunt, qui biennium superaddunt. Hi omnes pro sua quisque opinione argumenta neutiquam spernenda adducunt, quibus eam cæteris probabiliorem reddere conantur; cum nihil certò statui posse fateantur

H 3 om-